COMMENTATIONIS

OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE

C. CORNELII GALLI FOROIULIENSIS

VITA ET SCRIPTIS

PARS PRIOR

QUAE EST

DE VITA GALLI.

PRAEMISSA EST BREVIS DISPUTATIO DE CAUSSIS FELICITER
A ROMANIS CULTAE ELEGIAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROL. CHRIST. CONR. VÖLKER,

CLIVIENSIS,

SEMINARII PHILOLOGICI REGII IN EADEM UNIVERSITATE
SODALIS ORDINARIUS SENIOR.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXL.

Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Ovid. amor. 3, 15, 29.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

FRID. TH. WELCKERO

ET

FRIDER. RITSCHELIO

DIRECTORIBUS SEMINARII REGII PHILOLOGICI

PRAECEPTORIBUS DE SE MERITISSIMIS

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATUM PIUMQUE ANIMUM TESTATURUS

D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Fuit aliquando tempus, neque apud nos tantum in Germania, sed etiam apud exteras nationes, quo literarum Latinarum studium, si quidem id compares cum virorum doctorum opera, quam in Graecis collocabant, valde neglectum hominibusque umbratilibus et scholasticis delegatum iacebat. Scilicet invaserat animos hominum ea opinio, et sunt fortasse nunc quoque, qui putent, literas Latinas a Graecis ita superari tamque longo post se relinqui intervallo, ut qui paullulum tantum elegantior sit, Latinis missis vel leviter tantum percursis e Graecis solis oblectamentum et fructum ingenio suo satis dignum capiat. Quae enim aureae aetatis scriptores Latini lectu digna condiderint, ea a Graecis esse corrogata, atque tantopere infra exemplaria sua stare, quantum imagines rerum infra res ipsas; vetustiora vero carmina Latina horridi quid et inculti sonare. Quae opinio, praesertim quod veteres poetas attinet, iam dudum improbata est, ex eo potissimum tempore, ex quo viri docti in fragmenta poëtarum Latinorum deperditorum accuratius inquirere inceperunt, literarumque Latinarum primordia, augmenta et incrementa per singulas aetates investigare et considerare. Id enim hac opera effectum est, ut concedendum sit, poësim Romanorum, nam de pedestris orationis scriptoribus nunc sileo, quamvis ad Graecae perfectionem non adspiraverit, tamen nec copia nec praestantia tam infra illam stare, quam olim visum sit. Nam ut e multis unum afferam, etiamsi Romanos in pluri-

mis carminum generibus Graecorum exempla imitatos esse nemo negaturus sit, duo tamen sunt poëseos genera, quorum alterum iis omnino proprium est, alterum a Graecis acceptum quidem, sed ita cultum et elaboratum, ut Graecos auctores non dicam superaverint, adaequaverint saltem. Satiram dico et elegiam, de qua re Quinctiliani, elegantis et subtilis illius rhetoris, extat iudicium omnino verissimum (Instit. Orat. X, 1, 93.).

Atque reputanti, praeter ingenium et indolem nutriri et promoveri poësim et temporum condicione et hominum favore, non mirum videbitur, quod haec potissimum carminum genera a Romanis sint vel inventa vel perculta. Nam ut hoc primum moneam, est inter utrumque genus vinculum arctissimum, neque interest nisi hoc, quod vario modo eundem sensum eandemque animi affectionem efferunt, dolorem dico, quem altera per virus acerbitatis suae evomit, altera ad misericordiam movendam flebiliter exprimit. Iam vero si Romanorum condicionem, qualis eo fuerit tempore, quo haec genera potissimum floruerunt, consideramus, erat ea sane eiusmodi, ut animus purus et sincerus, a maculis et scabie saeculi intactus, cum horrore quodam a vita publica in sese refugiens, prout natura erat vel mollior vel austerior, vel lugeret calamitosam illam vitae condicionem, vel acerbe et vehementer insectaretur. Atque ut illud ad elegiam transferamus lugubrem et quae proprie vocatur, maxima pars Tibullianorum et Ovidianorum carminum tali colore tincta est, et apud Tibullum dulcis illa amarities etiam per id carminis elegiaci genus repit, quod formam tantum elegiae retinet, ceterum amorem vitaeque amoenitates persequitur. Eroticum hoc est, ac prae illo lugubri genere ita a Romanis excultum, ut paene nomen ab iis acceperit, neque iniuria Paldamus in libro illo, qui inscribitur Römische Erotik, hoc titulo totum elegiae Romanae genus una complexus sit. Elegiam eroticam vero non minus, quam alteram illam, a temporum et saeculi ratione augmentum et nutrimentum cepisse, quis non videt? Illo enim tempore, quo

principes elegiae Romanae florebant auctores, Catullus, Gallus, Tibullus, Propertius, Ovidius, luxurie cum divitiis ingruente et veterum morum castitate sublata, matrimonii quoque sanctimonia magis magisque antiquabatur. Elegantiores scilicet et delicati homines, ad Graecam et Asiaticam vitae normam plane sese componentes, matrimonii, quod omnino nihil oblectamenti illis afferebat, iugum detrectabant. Nec mirum, nam libertinae, mulieres elegantes plerumque et satis eruditae, plus habebant, quod homines otiosos et a publicis negotiis vacantes alliceret, quam matronae Romanae, simplici plerumque disciplina et antiquo more educatae. At vide, quam largam illud vitae genus materiem ad varia carmina pangenda praebuerit, hominibus imprimis, qui nullo alio negotio detinebantur. Laudes amicae, varius amoris lusus, aemulus aut victus aut vincens, absentia, perfidia puellae, haec omnia ita comparata erant, ut ingenium poëticum ni excitarent, attamen alerent et nutrirent.

Has duas caussas habeo praecipuas, cur elegia apud Romanos prae ceteris carminum generibus floruerit. Sed accedunt aliae. nam elegiam Romanam artis magis, quam ingenii vere poëtici esse fetum, poëtasque sententiarum egestatem et exilitatem saepe verborum ornatu et varietate orationis, non iniucunda quidem, reparare, hoc non negandum est. Ita placent quidem carmina pleraque Propertii, Tibulli, Ovidii, sed magis artem miramur, qua hi poëtae easdem saepe sententias tam varie exponunt, quam novitatem vel praestantiam sententiarum ipsarum. Atque hoc ut explicem, altius res mihi videtur repetenda esse.

Constat autem inter omnes, primam literarum Graecarum notitiam Romanis non tam e Graecia ipsa, quam ex magna, quae dicebatur, Graecia, imprimis vero Alexandria venisse. Qui vero eo tempore Alexandriae florebant poëtae, ii non tam ingenio, quam arte et doctrina clari erant. Aucupabantur dictionem artificiosam, splendidis coloribus fucatam, facetiis et leporibus conditam, veterum poëtarum pannis distinctam. Ita factum est, ut praeter alia duo imprimis ge-

nera ab iis culta sint, epigrammaticum et eroticum, leviora sane, quaeque ingenium poëticum non ita desiderarent. Atque ut facilius est, artem imitari, quam naturam, quia altera discitur, altera una cum homine nascitur, ita Romani quoque non infelices horum poëtarum extiterunt imitatores. Epigrammata, singulis distichis condita, felici saepe inventione et expositione satis elegante, iam mature apud eos invenimus, cuius rei exempla afferam Ennii epitaphium, ab ipso confectum, et ea, quae Aulus Gellius N. A. l. 19, c. 9. de Valerio Aedituo, Porco Licinio et Q. Catullo refert. E coniunctione talium distichorum, quae saepe eandem sententiam varie expositam referebant, maiora carmina, elegidia dicta, evaserunt, isque fons fuit carminis elegiaci apud Romanos, si quidem formam tantum spectamus. Atque elegia Romana, originis huius memor, id a Graeca differt, quod singula disticha integram et absolutam sententiam complectuntur, quum in iis elegiis, quae ex antiquiore Graecorum poësi etiam nunc extant, per plura disticha saepe eadem sententia sit continuata.

Quod igitur significare volebam, hoc est: praestantiam elegiae Romanae magnam partem in forma verti, simplices esse sententias ipsas et saepe easdem recurrere; hanc vero simplicitatem ornari egregia arte orationem variandi, nitere carmina imaginum splendore, magna saepe doctrina, e rebus mythicis petita, denique elegantia orationis et versus commendari summa; in his omnibus exemplum et auctoritatem poëtarum Alexandrinorum secutos esse poëtas Latinos.

Quae quum ita sint, elegia Latina sane digna est, in quam virorum doctorum studia convertantur. nam etiamsi multum iam hac in re a viris eruditissimis sit praestitum, tamen non pauca restant, quae face critica etiam nunc indigeant. Ac mihi quidem Naekius, immortalis memoriae vir, qui quantum in poëtis elegiacis versatus fuerit, nemo nescit, auctor et suasor fuit, ut in Cornelii Galli, poëtae elegiaci, quae sunt veterum scriptorum testimonia, satis clari, vitam et scripta inquirerem. Hic enim quum in aliis carminum et literarum generibus abunde laudis meruit, tum

in eo genere, de quo, monente eodem Naekio, modo pauca disputavi, maximam gloriam adeptus est. Est haec materia non nova quidem, a multis viris doctis potius iam agitata et tractata, nec tamen opinor, plane excussa neque dilucidata, quod documento est, rem esse et gravem neque ita facilem.

Ne tamen silentio praetermittam virorum doctorum libros, quibus usus sum, iam nunc recensebo. Sunt vero hi:

Fontaninus, Archiepiscopus Ancyranus in historia literaria Aquileiensi (Romae 1742.) p. 1—62. — qui vir Italus et, quod in Italo fortasse quis miretur, vere philologus, quamvis in multis erraverit, multa praetermiserit, primus tamen fuit, qui in hac re sincero et incorrupto iudicio uteretur.

Souchaius Abbas, in Mémoires de l'académie des inscriptions, anni 1752., T. XVI., p. 399 sqq.; qui non inutilia proposuit, sed quibus facile possis carere, si Fontaninum legeris.

G. E. Muellerus, in historisch kritische Einleitung zur Kenntniss der lat. Schriftsteller, T. II, p. 230 sqq.;

Fabricius, in biblioth. lat. I, 14, 1., qui uterque prioribus fere nihil addiderunt.

I. H. Vossius in commentariis ad Virgilii bucolica et georgica, passim, imprimis ad Buc. 6, 64.; 9, init.; Georg. 4, 315., qui de nonnullis, quae ad Galli vitam et scripta pertinent, doctissime disseruit.

Bekkerus in libro illo, Cornelius Gallus, Scenen aus dem häusl. Leben der Römer, elegantissimo quidem et doctissimo, sed ex quo pauca tantum in nostram commentationem redundaverint.

Totam vero disputationem in duas partes divisi, quarum priore de vita, altera de scriptis Galli exponam. Quod vero ab initio mihi fuit consilium, utramque partem coniungendi et uno libro edendi, mox, quum vix sentiente me neque opinante haec prior pars diutius me detinuisset, abieci. Verum si haec, quae nunc conscripsi, virorum doctorum

probationem tulerint, non erit mora, quin altera pars intra paucos menses prelo subiiciatur.

Superest, ut Welckero et Ritschelio, viris doctissimis, dilectissimis, honoratissimis, publice grates agam pro singulari benignitate et benevolentia, qua me iis libris instruxerunt, quibus ad dissertationem prorsus absolvendam vix carere potuissem.

Scribebam mense Februario anni MDCCCXL.

PARS PRIOR.

DE
C. CORNEL. GALLI FOROIULIENSIS
VITA.

Caput I.

De nomine et imprimis de praenomine C. Cornelii Galli.

Quod Baco de Verulamio [1], vir illustrissimus, naturalis philosophiae studium impeditum esse et iacuisse diu dicit, quum vulgo apud homines ea prava valeat opinio, rerum leviorum et pusillarum investigationem et accuratam pertractationem indignam esse gravitate et praestantia humanae naturae, cui ad altiora sit enitendum, id, opinor, de nostris studiis minus potest dici. Nam inde a renatis literis homines doctissimi iidemque acutissimi non dedignati sunt, quin in levissimis quibusque, et quae indocto hominum coetui futiles viderentur, quaestionibus cum ingenio versarentur, veritatem per se expetendam et in parvis quoque investigandam rati, et recte statuentes, qui in minutis rebus bene videre sese instituerit, eundem in magnis quoque non caecum fore, quum eadem vis ingenii in utrumque caderet. Quam auctoritatem et quod exemplum virorum clarissimorum nos quoque secuti de reprehensione istorum fastidiosorum securi sumus, si statim in ipso limine commentationis nostrae quaestionem per-

1) Cogitata et visa p. 20. ed. Amstelodami 1653.

tractamus, quae levior sane est, necessaria tamen ad totam dissertationem absolvendam et conficiendam. Res haec est. dubitatur, quod Cornelii Galli praenomen fuerit. A plerisque simpliciter dicitur Cornelius Gallus, Gallus Cornelius, ita a Suet. Aug. 66.; Donat. vit. Virg. passim; Serv. ad Virg. Ecl. VI, X; aliis; Dio et Strabo eum nominant *Γάλλον Κορνήλιον* (v. locos infra allatos), qua in re iure mireris, cur tam constanter praenomen omissum sit, idque ipsum non leve habebit momentum ad quaestionem de hac re enucleandam; priusquam tamen nostram dicamus sententiam, ceterorum opiniones recensebimus.

Apud Strabonem l. 16, 3, 22. (Siebenk. p. 536 Casaub.) [2]) memoratur Aelius Gallus quidam, eo loco, quo expeditio Romanorum in Arabiam a Strabone narratur, his verbis: *Πολλὰ δὲ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ τοὺς Ἄραβας στρατεία νεωστὶ γενηθεῖσα ἐφ' ἡμῶν, ὧν ἡγεμὼν ἦν Αἴλιος Γάλλος*, et quae seqq. Hunc putat Casaubonus fuisse Gallum, poëtam egregium, qui Euphorionem Latinis verbis expresserit, Virgilio carum, nec minus Augusto (comment. ad Strab. p. 217.), quam eandem sententiam ad Suet. Aug. 66. profert. Valde tamen errasse virum eruditum et subtilem, quisque facile videbit, qui leviter tantum in historia illorum temporum versatus fuerit. Illa enim expeditio, de qua Strabo refert, in annos u. c. 729 et 730 incidit (cf. Dio Cassius l. 53. p. 723. Reim.), a Cornelio Gallo vero nequaquam facta esse poterat, quum is iam anno 728 ipse sibi mortem consciverit. Quin Strabo ipse inter Cornelium Gallum et Aelium Gallum distinguit, v. l. 17, 1, 53. (p. 563 C.), ubi tres Aegypti praefectos nominat, Cornelium Gallum, Petronium, Aelium Gallum. Porro iam nemo videt, quomodo Aelius Gallus et Cornelius Gallus eadem persona esse possint [3]), nam Aelius prae-

---

2) Ut hoc semel moneam, Strabo ubique a me secundum edit. Siebenk. citatur, primus numerus librum, alter caput, tertius paragraphum indicat.

3) Egit de hac re Otto Menkenius bibl. vir. mil. et

nomen Cornelii Galli fuisse, hoc puto Casaubonum ipsum non voluisse.

Eutropius l. VII. c. 7. nominat Gallum nostrum Gneum, his verbis: „Aegyptus per Octavianum „Augustum imperio Romano adiecta est, prae„positusque Cn. Cornelius Gallus." Hanc unam auctoritatem praeter eos, quos laudat Fontaninus p. 10., temere secutus est Glandorpius Onomast. Rom. p. 279. Verum Paeanius sophista, Graecus Eutropii interpres, habet *Γάϊον* (verba eius sunt: *ἐπέστησέ τε ἄρχοντα τῇ χώρᾳ Γάϊον Κορνήλιον Γάλλον*), cui adstipulatur Euseb. Chron. ad Ol. *ΡΠΖ, ΙΔ* (p. 198 Scal.): *Ἀλεξανδρείας εἰλημμένης πρῶτος ἡγεμὼν πέμπεται Γ. Κορνήλιος Γάλλος.* En duos testes, in quibus iam acquiescere possemus, nisi coniectura quoque satis probabili et ratiocinatione res firmaretur. Iam supra diximus, apud plerosque scriptores praenomen Galli taceri, vel saltem in codicibus deesse. Huic rei caussa subsit necesse est. Satis constat, praenomina prima tantum litera, puncto apposito, notari; nomen integrum Galli ergo scribebatur C. Cornelius Gallus; facile autem fieri poterat, ut a librariis primum C per negligentiam omitteretur, aut ut utraque litera C in unam coalesceret. Ac de Graecis quidem scriptoribus minor dubitatio est, quibus id usitatum sit, ut omisso praenomine et nomine gentilicio postposito, Romanos homines designarent.

Plura huius rei habemus exempla; nam Cornelii Nepotis praenomen non magis quam nostri certe novimus. Fuisse Gaius, primus contendit Muretus epist. 2, 7., et assentiuntur ei, quod sciam, plurimi viri docti; nam quae Muellerus historisch-kritische Einl. T. 2. p. 301. affert, minus recta mihi videntur esse. Nec dissimili ratione Albii Tibulli praenomen Aulum per coniunctionem literae A, bis positae, e codicibus excidisse, probabiliter Broukhousius statuit.

---

scriptis ill. p. 211, 215, cuius inspiciendi mihi potestas non facta est (v. etiam Fabr. bibl. lat. I, 14, 1).

Ut omnia exhauriam, quae ad nomen C. Cornelii Galli pertinent, errorem quorundam attingam, qui a nonnullis Servii libris sese decipi passi sunt. Habent enim illi libri ad Virg. Ecl. X, 1., „hic est C. Asinius Gallus, Asinii „Pollionis filius, qui ante omnes primus Ae„gypti praefectus fuit.“ Haec et quae sequuntur quum in Cornelium Gallum quadrare viderent, putaverunt, Gallum nostrum fuisse filium Asinii Pollionis, naturalem vel per adoptionem, et verum nomen esse C. Cornelius Asinius Gallus. quod quomodo fieri possit, quum Pollio Cornelium Gallum familiarem suum nominet (Cic. epist. ad fam. 10, 32), et Asinius Gallus, a Tacito quoque memoratus (Ann. I, 8, 12, al. l.), ad Tiberii usque tempora vixerit, ipsi videant. Vide Font. p. 11, qui idem bene ostendit, quomodo in codd. talis error irrepere potuerit, nam Servium eius auctorem non esse, testantur ii libri, qui meliora habent. Similem errorem, sed iam a viris doctis sublatum, deprehendes in libris Donati vit. Virg. §. 38, Caium Asinium Cornelium Gallum[4]), ubi quisque videt et inserendum esse. Alios hac in re errores refert Wernsdorfius poët. lat. min. T. III. p. 183. Sed res tam aperta est, ut nihil dubii restare possit, nec quicquam de hoc errore dixissem, nisi multi viri docti, in eum inducti, multa miscuissent, turbassent, allucinati essent de Gallo nostro. Videas modo Burmanni opiniones perversas, quas profert ad Prop. 1, 5, 1. (cf. Anthol. lat. 1, ep. 176. p. 353.), qui ita de hac re loquitur, ut appareat, eum Fontanini dissertationem ne nosse quidem. Nobis vero haec crambe repetenda erat, ne novi Burmanni in novos errores prolaberentur.

Id sane hac disputatione evicimus et novis argumentis

---

4) Legendum scilicet est C. Asinium et Cornelium Gallum. Sed ut hoc in transcursu moneam, videtur hic quoque locus praenomen Gaii Gallo vindicare. Nam quum Donatus dicere debuisset: C. Asinium Gallum et C. Cornelium Gallum, ne otiosa verba repeteret, in altero cognomen, in altero praenomen omisit.

firmavimus, nomen Galli unum rectum esse: C. Cornelius Gallus.

Caput II.

Quae fuerit patria, quod Galli genus.

Non solum de patria sed etiam de genere Galli inter se viri docti dissentiunt. Quod patriam Galli attinet, unum testem habemus, Eusebium (Hieronymum) in Chron. ad annum Abrah. MDCCCCXC, qui eum Foroiuliensem nominat. Flavius Blondus quidem Foroliviensis, transposita una litera, pro Foroiuliensis legebat Foroliviensis, scilicet ut Gallum popularem suum faceret. Omnino ut hoc statim moneam, mirum virorum doctorum studium animadvertere licet, Cornelium Gallum sibi patriaeque suae vindicandi; Francogalli volunt eum fuisse Gallum, Itali Italum, et hi, prout alia civitate oriundi sunt, alium.

Iam Fontaninus p. 2—7 plurimos eosdemque optimos codices consentire in scriptura Foroiuliensis [5]) docuit, simulque recensionem virorum doctorum exhibet, qui ante Blondum et post eum una voce Gallum Foroiuliensem renuntiaverint. Quodsi in uno alterove codice Foroliviensis legitur, error est, et error quidem proclivis, et tum fere ubique vestigia erasionis inveniuntur. Ingeniosius etiam, si diis placet, ii egerunt, qui Gallum nostrum domo Vicetinum facere non dubitaverunt. Sed est haec depravatio et fraus manifesta, ubi enim apud Gallum Maximianum Etruscum legitur:

Ergo his ornatum meritis Etruria nostris

---

5) In exemplari historiae lit. Aquil., quod ego inspexi, in margine a manu viri docti cuiusdam (Crusj. se notat) additus erat codex Chron. Euseb. membranaceus Biblioth. Elect. Dresd. CD, in quo Foroiuliensis „liquido et sine ulla erasionis correctionisve suspicione legi“ affirmat.

I. Baptista Palearinus quidam pro Etruria supposuit Vicetiam. En rem lepidam et festivam, de qua iudicium unicuique reliquum facio. Gallum Foroliviensem et Vicetinum illi sibi habeant, et glorientur de cive tam egregio, nos ad Gallum Foroiuliensem redeamus.

Constat, duas imprimis urbes fuisse nomine Fori Iulii, alteram in Gallia Narbonensi (nunc Frejus dictam), alteram in Venetis[6]) (nunc Friuli). Hinc discedunt virorum doctorum opiniones, alteri volunt eum natum esse in Gallia Narbonensi, alteri in terra Venetorum. Fontaninus quidem multa cum opera et multo labore hanc alteram sententiam defendit, et assentiuntur ei Tiraboschus et Lirutus, quod, quum Itali sint, nemini mirum videbitur. Sed fateor me argumentis eius nullo modo commoveri, ut ad hanc sententiam accedam; quae enim affert, partim falsa sunt, partim ita comparata, ut magis videatur opinionem praeoccupatam substruere velle, quam quid verum sit, sincere pervestigare.

Ne tamen videar eum iniuste accusare, iam ostendam, quam levia, quin quam futilia sint argumenta, quibus utitur, praesertim quum inde aliquid commodi in nostram rem redundet. Dicit primum, Hieronymum, quum Eusebii Chronicon sane non in Gallia Narbonensi, sed Constantinopoli auxerit, etiam per tempus aliquod Aquileiae in vicinia Fori Iulii vixerit, hoc ipsum optime nosse, neque de alia huius nominis urbe cogitare potuisse. Quae tam inepta sunt, ut tempus in iis refellendis terere nolim. Pergit deinde, ad ambages vitandas eum haud dubie distincte et disertis verbis, si coloniam Narbonensem intelligi voluisset, hoc significaturum fuisse, praesertim quum Forum Iulii, in terra Venetorum situm, omnium fuerit clarissimum et notissimum,

6) Vel potius in confiniis Carnorum et Venetorum; Aquileia certe, quae haud procul a Foro Iulii aberat, iam extra fines Venetorum erat posita (Strabo 5, 1, 8). Sed fines inter utrumque populum non ita certi neque constantes videntur fuisse.

illud vero Narbonense non uno cognomine apud veteres scriptores ab hoc distinguatur. Ad quae hoc respondeo, falli omnino virum illum et caeco patriae amore captum tempora inter se commutare. Nam medio quidem aevo urbs Friaul (Friuli) magno gaudebat nomine, at antiquis temporibus longe clarissima et nobilissima fuit illa colonia Narbonensis, quae apud Tac. Agric. 4. init. vetus et illustris audiat, quum altera illa vix passim et in transcursu memorata sit. (cf. Strabo 4, 1, 9. p. 184).

Quod vero addit, Forum Iulii Narbonense plerumque certo cognomine fuisse praeditum, id quomodo in suam rem velit detorquere, non video. Nam quod Foroiulienses dicuntur Pacenses, Classici, Augustani, Narbonenses, ex hoc, ni fallor, apparet, urbem illam claram et illustrem fuisse; nam parvis et obscuris urbibus sane non tria quatuorve cognomina adduntur. Tantum igitur abest, ut hoc argumento in suam rem possit uti, ut plane contrarium inde sequatur, Hieronymum coloniam Narbonensem intelligi voluisse. Sed videamus cetera. dicit, gentem Corneliam Aquileiae (ergo in vicinia Fori Iulii) floruisse, quod e monumentis ibi inventis appareat. Sed quid inde sequetur? Quid, si nos demonstrabimus, Cornelium Gallum ne pertinere quidem ad illam gentem clarissimam, sed libertinum fuisse? Neque maius pondus habet argumentum, a contubernio cum Virgilio petitum, de quo infra videbimus. Omnia igitur argumenta, quae Fontaninus protulit, concidunt, neque ab ullo praeterea video aliis documentis sententiam eius firmari. At neque ii, qui Gallum nostrum Narbonensem fuisse censent, quicquam, quo id demonstrent, afferunt; nam ex eo, quod Gallum in Venetis natum esse, nondum demonstratum est, statim non sequitur, eum Narbonensem fuisse. At habeo quaedam, quibus ad summam usque probabilitatem haec sententia adducitur.

Primum, si nomen ipsum spectamus (de praenomine modo vidimus, de nomine gentilicio mox disputabimus), cognomen Gallus viam nobis praeit. Notum est, indi Romanis, liber-

tinis imprimis, cognomina a patria vel urbe vel terra, ita Domitius Marsus, Varro Atacinus, Cassius Parmensis, de qua re v. Weichertum de Domit. Mars. poëta §. 1. p. 242., et hoc in Cornelio Gallo quoque factum esse, mihi verisimillimum est. Si vero res se ita habet, a quanam terra eum hoc cognomen nactum esse putabimus? a Gallia Narbonensi., an ab ea parte Italiae, quam Veneti incolebant? Vocabatur quidem Italia superior uno nomine Gallia, sed ad Venetos quoque hoc nomen num pertinuerit, valde dubito [7], certe non omnibus temporibus neque apud omnes scriptores, quum Mela quidem 2, 4. (cf. Strabo 5, 1, 4. p. 212) Venetos sinistram Galliae togatae partem tenere dicat, Livius vero (X, 2) eos a Gallis separet. Puto tamen, eum ita non Gallum, sed Venetum seu Carnum cognomen accepturum fuisse. Sed aliud habeo argumentum, quod vix superari posse credo; utor vero hac in re loco Quinctiliani, quem, quod sciam, nemo adhuc pro merito tractavit. Est is in inst. or. 1, 5, 8., ubi Quinctilianus, postquam de variis modis, quibus barbarismus accipiatur, locutus est, quorum unum dicit nominari in gente, si quis verbum linguae peregrinae Latinae orationi inserat, haec exempla affert: „Sicut Catullus *ploxenum* circa Padum invenit; et in oratione Labieni (sive illa Cornelii Galli est) in Pollionem *Casnar assectator* e Gallia ductum est.“ Apparet ex toto loco, scriptores illos, qui his verbis peregrinis usi sint, illa e sermone patrio petiisse; itaque quum Labienus sive Gallus (nam hoc ad idem redit) verbum casnar e Gallia duxerint (quod licet hic interpretari: mitbringen), sequitur, utrumque domo Gallum fuisse. Eam Galliam vero nullam aliam nisi Narbonensem esse, pro certo affirmaverim. Sed demonstrandum est, e Venetis illud verbum peti non potuisse. Polybius enim de Venetis haec habet: προσ-

---

7) Praeterea illo iam tempore Italiae nomen ad tres partes, olim secretas, pertinebat, v. Strab. 5, 2, 10.

αγορεύονται μὲν Οὐένετοι, τοῖς μὲν ἔθεσι βραχὺ διαφέροντες Κελτῶν, γλώττῃ δ' ἀλλοίᾳ χρώμενοι (cf. etiam Strab. l. l.). Porro verbo casnar praeter Gallos Osci quoque usi sunt (de qua re v. Festum et Varronem s. v.), alia quidem significatione, scilicet senis [8]), inter senem autem et assectatorem affinitas quaedam est significationis, uterque enim debilitate laborat, ope et auxilio alieno eget, neque suis stat pedibus. Osca lingua autem Celticae, utraque Latinae affinis erat [9]); quo igitur verbo utebantur Osci, eodem, quamvis significatione paullulum immutata, Galli quoque, minus Veneti, uti poterant. Quum igitur Quinctilianus dicat, Gallum hoc verbum e Gallia duxisse, Celticam intellexit, vel certe eam, quae lingua Celtica utebatur; est haec vero hac in re Narbonensis, eamque patriam Galli esse, hoc loco arguitur. Nam Gallus, si in terra Venetorum natus esset, vix potuisset uti verbo Celtico, vulgaris et rustici sermonis (unde enim didicisset?), facile si in Gallia Narbonensi, nam tum iam cum lacte nutricis id suxerat.

Ita omnia concurrunt ad eam sententiam stabiliendam, quam Vossius quoque, Souchaius, Bekkerus, Matthiaeus sequuntur, nullis tamen argumentis allatis, C. Cornelium Gallum natum esse Fori Iulii in Gallia Narbonensi.

---

8) Ita persona quaedam in ludis Atellanis casnar, sive senex casnar (Bestevader) dicebatur.

9) Cf. Grotefend. grammat. lat. 2. §. 194. Schmitthenner Ursprachlehre p. 35 sqq. Dorn Ueber die Verwandtschaft des Persisch-Germanischen und Griechisch-Lat. Sprachstammes p. 88. — Contra quidem est virorum magnae auctoritatis iudicium, verum fuisse aliquam utriusque linguae cognationem, et multa verba Latinae linguae e Celtica repetenda esse, negari non potest. Haec verba autem e lingua Siculorum, qui cum Oscis et Pelasgis in unum populum Latinorum coaluerunt, originem traxisse videntur. Cf. Niebuhr. Römisch. Gesch. 1, p. 31—32; 76; 77; 87—89; 92; 116.

b) *De genere Galli.*

Genus eius satis obscurum fuisse videtur; tradit enim Suet. Aug. 66., Caesarem Augustum eum ab infima fortuna ad praefecturam Aegypti provexisse. Quamobrem valde errat Fontaninus, qui statuit, eum ab equestri ordine originem trahere, cuius rei documentum affert hoc, quod Strabo et Tacitus tradant, Aegyptum iam inde a temporibus Divi Augusti per equites Romanos rectam esse; facile autem erat Augusto, amicis suis annulos et dare et adimere. Praeterea vestigia ignobilitatis apud Ammianum Marcellinum mihi videor deprehendisse; is enim dicit l. 17, 4. Cornelium Gallum metu nobilitatis acerbe indignatae stricto ferro incubuisse, quae verba clariora fient, si ad mortem Galli pervenerimus. nunc id sufficiat dicere, nobilitatem homini sui ordinis sane non ita vehementer successuram fuisse. Erat igitur Gallus homo novus, oriundus a liberto quodam L. Cornelii Sullae, quem constat innumerabilem hominum multitudinem in libertatem asseruisse, vel, quod probabilius Bekkerus statuit, Cornelii Cinnae; nam quum Gallus postea I. Caesaris Octaviani partes secutus sit (is autem Iulii Caesaris et Cornelii Cinnae factionem tuitus est,), hoc fortasse memor beneficii, a Cinna in patrem collati, fecit. Quodsi hoc ita est, patrem Galli, manumissum a Cinna, in Galliam, unde fortasse et ipse oriundus erat, profectum esse, ibique domo sua constituta Gallum nostrum generasse, probabiliter coniici potest.

Imaginem C. Cornelii Galli, sed eam spuriam et recentioris fabricae, extare in Museo Mazzucheliano T. I. tab. III. n. 9., refert Saxius Onomast. I. p. 182.

Caput III.

De tempore, quo Gallus vixerit.

In universum Ovidius Trist. 4, 10, 5, aetatem Galli nostri constituit, his verbis:

Successor fuit hic (Tibullus) *tibi, Galle, Propertius illi,*
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Itaque ad temporis ordinem primus elegiarum scriptor apud Romanos fuit Gallus (nam Catullus ab Ovidio praetermissus est), successit Tibullus, secutus est Propertius, agmen coëgit ipse Ovidius. Accuratius tempus definiri potest ex Dione Cassio l. 53, p. 717 R. et Eusebii Chronico. Dio enim refert, eum C. Iulio Caesare Octav. Aug. VIII. T. Statilio Tauro coss. a Valerio Largo proditionis et perduellionis accusatum, propria manu se interfecisse; erant autem illi coss. a. u. c. 728 Varr. secundum fastos consulares Almeloveni. Eusebius ad a. Abrah. MDCCCCXC, Ol. CLXXXVIII, 2 refert, eum tum annos quadraginta tres [10]) natum fuisse. Quodsi haec inter se conferimus et ad calculum revocamus, a. u. c. Varr. 685., Q. Hortensio Q. Caecilio Metello Coss. C. Cornelius Gallus ad lucem editus est, uno anno post Virgilium, quattuor ante Horatium.

Summa igitur totius disputationis superioris haec est: C. Cornelius Gallus, Foroiuliensis e Gallia Narbonensi, obscuro genere ortus a. u. c. 685. natus est, mortuus a. u. c. 728. quadragesimo tertio aetatis anno.

---

10) Ita meliores codices; Scaliger habet quadraginta annos, sed tres illi anni a librariis facilius poterant omitti, quam addi. Vossius Scaligerum sequitur, v. eum ad Virgil. ecl. 6, 64.

Caput IV.

De institutione Galli, eius amicitiis et primis literarum monumentis, quae condiderit.

Quae de C. Cornelii Galli vita novimus, ea fere omnia ad postremos aetatis annos pertinent; quae enim fecerit, antequam in Caesaris Octaviani amicitiam receptus sit, ea ex his vel illis laciniis coniici et quasi consui tantum possunt.

Satis honeste et liberaliter educatus et institutus videtur esse, non enim ex sordida institutione evadit quis poësi, facundia, prudentia in rebus et civilibus et bellicis praeclarus. Tum autem Gallia Narbonensis, in qua natus erat, recedebat a cultu barbaro, et magis ad Romanum usum humanitatemque sese applicabat (testibus Strab. l. 4, p. 152 Cas., Suet. de illustr. gramm. 3; Tac. Agr. 4). Mature tamen in Italiam venisse, Virgilioque innotuisse videtur, si quidem apud Probum grammaticum condiscipulus eius audit. Quodsi hoc testimonium conferimus cum Virgilii ecloga VI., Varo inscripta, imprimis inde a vs. 64, inde non improbabiliter concludi posse videtur, Gallum una cum Varo Virgilioque Syronis, philosophi e secta Epicurea, quae illo tempore multos apud Romanos asseclas habuit, disciplina usum esse. Illo enim carmine, quo poëta Silenum de rerum primordiis cantantem fingit, Epicureorum placita de rerum origine nexuque referri, Varoque id inscriptum esse, quia is cum poëta Syronis scholis affuerit, commentatores veteres tradunt. Quo in carmine quum mentio honorifica et satis ampla Galli fiat, (vs. 64 sqq.) videntur duo certe inde consequi, et Gallum arctissimo amicitiae vinculo cum Varo iunctum, et eum philosophiae Epicureae addictum fuisse. Unde enim commemoratio illa hominis vivi et aequalis in medio fabularum, e sententia Epicureorum expositarum, nexu, nisi ea res ad Gallum pertinuerit. De aliis, quae ex hac ecloga elici possunt, in altera parte disseram. Quodsi Virgilius condiscipulus Galli

dicitur, hoc contubernium non ad primam institutionem, quod Fontaninus voluisse videtur, sed ad Epicuream disciplinam, a Syrone utrique traditam, pertinet. Si iam nunc pro certo possem ponere, quod postea mihi demonstrandum erit, Cirim poëma non ab alio nisi a Gallo scriptum esse, inde quoque argumentum petere possem, quum in exordio carminis (3, 4) auctor aperte se Epicureum esse profiteatur. Utut res sese habet, id certum est, fere circa annum 710 (Galli 25) vel paullo ante Cirim esse scriptam, quum Virgilius in Ecl. II, vs. 5 et 10. manifesto versus 208 et 370. Ciris imitando expresserit, illa vero ecloga in annum 711 incidat. Nam illorum sententia, qui statuerint, Cirim esse centonem quendam, e pannis et laciniis variorum poëtarum confectum, iam dudum, opinor, explosa est. Accedit id, quod, si quidem Ciris Gallum auctorem habet, egregie aetas, qua poëta in illo carmine sese esse dicit, cum anno Galli, quem circa a. 707. vel 710. agebat, congruit. Nam e verss. 42—45 illum iuvenem fuisse apparet, Gallus vero illo tempore homo 24—25 annorum fuit.

Non est nostri loci, totam illam quaestionem exhaurire; id tantum nunc agimus, ut, in quem annum incidant singula carmina, quae vel a Gallo scripta sunt, vel tribui ei possint, probabili coniectura assequamur.

Eodem tempore Gallus haud dubie aliis quoque carminibus pangendis occupatus fuit, quod ex eadem Virgilii ecloga (anno 715 scripta) apparet. Nam Ecl. VI, vs. 66. indicat poëta, Gallum tunc iam magno nomine et multa laude poëtica floruisse; deinde ex vss. 69—73., in quibus carminibus versatus sit, adhibitis grammaticorum testimoniis, concludi potest. Erant vero illa argumenti mythici, in quibus partim Hesiodum, partim Euphorionem Chalcidicum, poëtam Alexandrinum, qui circa tempora Ptolemaei τοῦ Εὐεργέτου vixit, imitatus est. Sed de his quoque, propositi mei tenax, accuratam disquisitionem in alteram partem differo.

Floruit illo tempore Parthenius Nicaeensis, poëta

eroticus, quique Virgilii praeceptor fuit, nec minus cum Gallo summam familiaritatem contraxit. Extat nunc etiam liber eius περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων [11]), Cornelio Gallo inscriptus, atque quod ex epistola nuncupatoria, libro praemissa, apparet, eum in usum confectus, ut Gallus inde argumenta poëmatum peteret, in quibus quum elegias quoque nominet, falsum videtur esse, quod Vossius ad Ecl. X, vs. 50 dicit, Gallum ante annum 717 praeter unam elegiam, in illa ecloga memoratam, nullasdum fecisse. Nam quum mythici argumenti carmina iam ante 715 scripta sint, elegiae vero una cum his a Parthenio memorentur, et quidem in libro, ex quo Gallus argumenta carminum mythicorum et elegiacorum sumat, uno tempore utraque hic scripsit, de elegiis certe iam cogitavit.

Praeter Varum, Virgilium et Parthenium Cornelius Gallus iam mature cum aliis quoque viris nobilissimis et illustrissimis amicitiam iunxit. Cum Pollione praesertim et Cicerone. Pollio quidem hoc ipse testatur apud Cic. epist. ad fam. 10, 31: „praetextam quoque, si voles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito." Tradiderat igitur Pollio Gallo tragoediam quandam, fortasse ut eam recognosceret et iudicium suum de ea ferret [12]). Cicero vero postquam Gallum ea de re adiit, viri humanitate ingeniique amoenitate captus in amicos suos eum recepit. Scribit enim Pollio paullo post 10, 32: „quod

---

11) Editus est liber primo a Iano Cornario, Basil. 1531 apud Frobenium. Dignus sane est Parthenius, qui accuratius a viris doctis pertractetur. Promisit quidem Meineke praef. ad Euphor. p. VII, se aliquando de eo scripturum esse. num steterit promisso, nescio.

12) Omnino Pollionis tragoediae non tam theatris, quam recitationibus destinatae fuisse videntur. De more illo Romanorum, quo cum amicis et familiaribus scripta sua antequam ederent communicabant, cf. Thorbecke de Asinii Pollionis vita et stud. doctr. p. 104.

familiarem meum tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est.“ Nam in his locis quin intelligendus sit Cornelius Gallus poëta, non est, cur dubites. Quum Caesar Octavianus anno 710 post Caesaris mortem Apollonia Romam rediisset, Gallus in primis videtur fuisse, qui ad eius partes transgressi sint, vetere beneficio huic factioni plane addictus; certe iam anno 713 magna eum complexus est Octavianus amicitia, eumque ex tot hominibus claris et familiaribus potissimum dignum censuit, qui Aegyptum administrandam acciperet, de quibus rebus mox videbimus.

Caput V.

Reliqua Galli vita, per annos digesta.

A. U. C. 713, a. Chr. 41
Q. Servilius Vatia Isauricus II.
L. Antonius, coss.,
a. Galli 28.

Caesar post pugnam ad Philippos commissam Romam reversus veteranis agros dividit, qua in distributione Virgilius quoque praedium suum amittit. Is autem, Romam aggressus liberalitate Augusti agros suos recepit, commendatus ei, ut alii tradunt, ab Asinio Pollione, alii ab Alfeno Varo, alii a Gallo, alii a Maecenate. (Cf. Donat. vit. Virg. 30, 36, Phocas v. Virg. vs. 65). Haec testimonia diversa facile possis inter se conciliare, si statuas, unumquemque hominum laudatorum pro virili parte operam Virgilio hac in re navasse. Non enim video, cur omne meritum, quod Fontaninus voluit, in Gallum conferamus. Anno insequente, quum Pollio a provincia Transpadana abesset, veterani, non contenti agris Cremonensium, in Mantuanos quoque irruptionem fecerunt; Virgilius autem, qui iterum bona amittebat, a Cornelio Gallo et Varo non modo ipse est re-

stitutus, sed Mantuanis quoque pro parte agri reddebantur. Nam Cornelius Gallus una cum Varo, cui ecloga VI. inscripta est (cf. etiam ecl. IX.), ab Augusto triumvir missus est, qui pecuniam ab iis municipiis exigeret, quorum agri in regione Transpadana divisi non erant; tertius erat Asinius Pollio, ab Antonio missus. (Vide Voss. ad Virg. Ecll., Spohn. in proll. ad Virg. buc., Iahn. in praef. ad Virg.)

Fuit autem et Vari et Pollionis et Galli talis erga Virgilium benevolentia, ut hic ad gratum animum testandum laudesque horum triumvirorum celebrandas bucolica scribere inceperit, quod et ex ipsis carminibus, praeter Octavianum, his potissimum viris dedicatis [13]), apparet, et Servii testimonio ad primam Eclogam firmatur. Sunt multa in historia illorum temporum, imprimis quod agrorum divisionem attinet, adhuc obscura; ego, quantum res nostra poscit, de nonnullis hic disputabo. [14])

Consentiunt grammatici in eo, Varum illum, ab Augusto ad agros dividendos in Galliam missum, esse Alfenum Varum, eundemque, cuius res gestas celebrandas Virgilius in ecl. VI. propter ingenii sui exilitatem aliis transmiserit; nisi quod ad init. h. ecl. Servius quaedam de Quinctilio Varo, eo, qui postea ab Arminio fusus sit, nugatur. Id iam bene animadverterunt viri docti (Vossius ad Virg. ecl. VI, Weichertus de L. Vario poëta p. 125), hunc Alfenum Varum diversum esse a claro illo caussidico eiusdem nominis, qui Augusti temporibus floruerit. Ac Vossius quidem hunc Varum censet fuisse L. Alfenum Varum quendam, Epicureum et Caesaris amicum, a Quinct. instit. or. I. 6, 3, 78, memoratum, Weichertus vero, omnino repro-

---

13) Nam Ecll. II. et III., ante 713 scriptae, quamvis minus in censum hic veniant, tamen coarguunt, poetam Pollioni iam innotuisse.

14) De nonnullis rebus in hoc tempus incidentibus bene disputavit Thorbecke de Asin. Pollione, p. 17 sqq.

batis grammaticorum testimoniis, et Vossium ipsius Vossii armis impugnans [15]) Q. Attium Varum quendam pro Alfeno Varo substituit. Sentiens tamen, nimis grave esse testimonium Servii ad Ecl. IX, 10, ubi oratio Cornelii cuiusdam in Alfenum Varum memoratur, qui iniquius Mantuanos, Virgilii municipes, tractaverit, hunc quoque aliquam partem in ea re habere potuisse concedit. Iam eo inflectitur, quo ego rem deducere volo; censeo enim duos Varos esse distinguendos, alterum Varum esse eum, quem Virgilius tot laudibus extulerit, Epicuraeum et Virgilii commilitonem; qui quum ab Augusto in Galliam ad agros dividendos missus sit, caussam Mantuanorum una cum Gallo contra ferociam veteranorum defenderit (Virg. Ecl. IX, 27.); alterum limitatorem [16]), qui teste Servio ad IX, 10 in Mantuanos iniquius egerit. Nam ille Virgilii locus (ecl. IX, 27), qui Varum protectorem Mantuanorum fuisse coarguit, et hoc Servii testimonium, adversis, ut aiunt, frontibus sibi obstant, ita ut neutiquam possint inter se sociari. Porro quis ille Varus, a Virgilio memoratus fuerit, ego nescio [17]), hunc vero Alfenum Varum, contra quem Cornelius ille orationem habuit, nobilem illum iureconsultum fuisse, probabile est, qui Cremona oriundus pro Cremonensibus, popularibus suis, quorum agri inter veteranos dividebantur (Virg. Ecl. IX, 28), contra Mantuanos steterit, quorum caussam Cornelius ille defendit. Additus fortasse erat triumviris, cuius opera et scientia in hac divisione uterentur, ut et iuris et regionis illius periti. Nam partes secundas eum ea in re egisse, apparet e Servii verbis: Quod alii dicunt, Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alfeni

---

15) Inspiciat lector eruditus dissertationem Weicherti doctissimam; mihi sufficit, capita rerum referre.

16) Hoc verbum, etsi probae latinitatis non est, tamen ἀναλογικῶς quum formatum sit, et notionem, quam volo, Gränzbestimmer, bene exprimat, lector benevolus mihi condonet.

17) Inclino tamen magis ad Weicherti, quam Vossii sententiam.

Vari, qui agros divisit, praeter palustria nihil relictum sit, sicut ex oratione Cornelii in Alfenum Varum ostenditur: „Cum iussus, tria millia passus a muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aquae, quae circumdata est, admetireris, reliquistis.“ (Meyer. orat. Roman. fragm. p. 222). Iam verba iussus, admetireris satis demonstrant, hic de limitatore et agrimensore sermonem esse, non de triumviro Varo, cui summa rerum commissa erat. [18])

Sed restat alia quaestio, quae propius rem nostram attingit, quisnam fuerit Cornelius ille, e cuius oratione Servius haec servavit. Vidimus iam in cap. II., Cornelium Gallum oratorem fuisse, ita ut nemo dubitaturus sit, orationes, quae sub eius nomine laudentur, nisi aliae rationes obstent, nostro adscribere. Hic tamen ambiguum esse potest, quis fuerit Cornelius ille, quum cognomen non additum sit. At nemo ignorat, scriptores veteres Romanos homines, si iam antea de iis sermo fuerit, nec qui sint dubium esse possit, solo nomine gentilicio significare. Ita hic quoque, nisi Galli nomen ex codicibus excidit, Servius vix alium potest significare voluisse, quam Cornelium Gallum, de quo iam antea locutus erat, et praeter quem nullus alius Cornelius, hac in re versatus, memoratur. Mihi quidem hoc luce est clarius, et video Weichertum et Meyerum ll. cc. mecum consentire.

Ita Gallum, quum vix vicesimum octavum vitae annum egit, non tantum a carminibus, sed etiam a rebus bene gestis et facundia rerumque forensium peritia clarum et nobilem videmus. Fuisse videtur homo singulari praestantia, qui nobilissimorum hominum gratiam sibi collegerit, eaque elegantia et facilitate morum, ut diversissimarum partium ho-

---

18) Distinguendi videntur esse triumviri, anno 713 missi, Pollio, Cornelius Gallus, Varus, et triumviri ii, qui anno 714 mittebantur ad agros veteranis dimetiendos et limite constituendos, inter quos Alfenus Varus et Octavius Musa fuit.

mines sibi amicos habuerit, qnamvis uni constanter et fide addictus. Quin quod praestantissimum testimonium egregiae naturae et optima commendatio ad posteritatem mihi quidem videtur, Virgilio ita carus fuit, ut is ecl. X, 73. dixerit:

Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subiicit alvus.

Quibus verbis num quisquam praeclarius laudari possit, valde dubito.

A. U. C. 717, a. Chr. 37.
M. Vipsanius Agrippa, L. Caninius Gallus coss.
a. Galli 32.

Hoc anno Virgilium eclogam decimam scripsisse, censet Martinus, quia in illo carmine expeditionis Romanorum in Galliam ad Rhenum mentionem iniiciat, Dio autem l. 48, c. 49, p. 564 R. tradat, M. Agrippam post Caesarem secundum fuisse, qui Rhenum traiecerit, idque initio eius anni, quo consul fuerit. In eius exercitu Lycoris quoque, vel vero nomine Cytheris, fuit, quae antea Galli amica, hoc deserto, cum alio quodam amatore Agrippae exercitum secuta est. Gallus maximo animi dolore hunc casum tulit, quamobrem Virgilius eius consolandi caussa initio veris (nam tum carmen scriptum esse, recte Vossius statuit) ad eclogam ultimam scribendam aggressus est. Gallum eo tempore in alia expeditione versatum fuisse, ex vs. 44. huius eclogae colligi potest, ubi Gallus hoc de se praedicat:

Nunc insanus amor duri ME Martis in armis,

ubi me illud, nequidquam a viris doctis tentatum et in te mutatum, bene defendit Vossius.

Quum enim Gallus vs. 35. dixerit:

Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis . . . . .
. . . . . hic ipso tecum (Lycoris) consumerer aevo,

vs. 44. bene vitae pastoriciae, tranquillae et placidae, quam sibi exoptat, duri Martis arma, et mutuo illi amori, quibus pastores fruuntur, ipsius amorem insanum opponit. Accedit,

quod t u in vs. 46. ita babet, quo referatur. Idem Vossius Gallum tum in Octaviani exercitu, qui contra Sexti Pompeii invasiones littora Italiae defendebat, fuisse satis probabiliter suspicatur. Nam praeter has duas expeditiones de nulla alia, hoc anno facta, apud ullum scriptorem aliquid invenitur.

De Vossii sententia, ante hunc annum Gallum nullas elegias scripsisse, sed tum demum, quum desertus ab amica infida doloris medicamen et solatium quaereret, ingenium eius ad hoc carminum genus fuisse excitatum, iam supra diximus. Hoc sane Vossio concedemus, magnae elegiarum partis argumentum ab hac ipsa occasione petitum esse, de qua re vide alteram dissertationis partem.

Sed quum oratio nostra ad Lycoridem, Galli amicam, pervenerit, iam non praetermittam, quin pauca de ea addam.

Tradidit Servius ad ecl. X, init. haec: „Hic Gallus amavit Cytheridem meretricem, libertam Volumnii, quae eo spreto Antonium euntem ad Gallias est secuta.“ Quo in loco quot sunt verba, tot errores, tot mendacia. Nam ut a postremis incipiamus, „Cytheridem spreto Gallo Antonium in Gallias euntem secutam esse“, unde tandem hoc scit homo sciolus? — At commentus est, quod ut demonstrem, iam quaedam afferenda sunt, quae minus ad rem pertinent.

Notum est, Antonium quondam cum mima aliqua, Cytheride dicta, turpem usum habuisse, quem multis locis vehementissime Cicero exagitat. (Philipp. 2, 24, 58; 25, 61; 13, 2 — ad Attic. X, 10, 16, ad fam. 7, 32, 33; 15, 22 — adde Plut. vit, Ant. 6, p. 74 Bryan.)

Fuit haec mima Hippii cuiusdam serva, et mimico nomine Cytheris dicebatur. Postea quum Antonio perplaceret, is statuit, eam sibi connubio iungere, quod ut melius posset fieri, Volumnio Eutrapelo, summo Antonii familiari, addicta est, statimque manumissa nomen V o l u m n i a e accepit. Antonius eam amabat, cum tribunus esset, (a. u. c. 704), verum admonitus a Caesare, ut e vinculis tam turpis amoris sese extricaret, iam anno 709, quo consul erat, eam dimiserat. Falsissimum igitur est, quod Servius narrat, Cy-

theridem, Gallo deserto, cum Antonio in Gallias profectam esse. Quo enim tempore Antonius ad Rhenum processit, cuius in hac ecloga mentio fit? Fugit sane in Galliam a. u. 711 post praelium Mutinense, sed tunc amorem Cytheridis iam exuerat. Nec potuit scribi haec ecloga ante annum 704, prius quam Antonius in Cytheridis amorem incurreret; nam primum Virgilius ipse hanc eclogam ultimam esse dicit (vs. 1), quod falsum esset, si eam ante 704 scripsisset; tum Gallus illo tempore vix vicesimum aetatis annum agens sane non potuit Euphorionem, quem in illa Ecloga memorat, vertisse. Haec iam suspicionem movent, grammaticos hac in re omnino allucinatos esse, et Lycoridem Galli diversam esse a Cytheride Antonii, ut Ruaeus quoque et Vossius censent. Deinde hoc per se incredibile est, Gallum hominem iuvenem et elegantem turpi amore feminae illius infamis et exoletae flagrasse nedum Virgilius, virgineae castitatis homo, talem amorem carmine celebraverit et mentionem honorificam Lycoridis quoque (vs. 2) iniecerit. Qui amor Antonio summam notam inussit, is Gallum non dedecuerit?

Putidum omnino est grammaticorum commentum, qui quum aliquid de Cytheride, Antonii amica, audivissent, accepissent deinde, Lycoridem Galli alio nomine Cytheridem dictam fuisse (hoc enim ita sese habuisse, probabile est), statim coniecerunt, hanc et illam unam eandemque feminam fuisse.

A. U. 723, a. Chr. 31.

Caesar Octavianus III., M. Valerius Messala coss. a. Galli 38.

Debellatur apud Actium promontorium, Antonius et Cleopatra Aegyptum petunt. Caesar quum ipse post victoriam in Samum insulam sese contulisset, de seditionibus militum in Italia certior factus, illuc transgreditur et inde anno sequente in Aegyptum venit, iam paene subactam a C. Cornelio Gallo. Nam illi totam rem administrandam Augustus tradiderat, eumque statim post pugnam ad Antonium persequendum cum exercitu praemisit; Gallus autem res ibi felicissime exsecutus

est. (Dio Cassius 51, p. 636, 639 seqq., Paul. Oros. 6, 19, p. 429; Freinsheim. supplem. Liv. 135, 5.)

A. U. C. 724, a. Chr. 30.

Caesar Octavianus IV., M. Licinius Crassus. coss. a. Galli 39.

Habemus iam amplam materiam, disserendi de rebus a Gallo gestis, neque ut antea res coniecturis magis nititur, quam certis scriptorum testimoniis. Sed singula ordine persequamur.

Accepit primum Gallus a Pinario Scarpo, legato Antonii, quattuor legiones, quas ille apud Cyrenas habebat, desperans vero de Antonii salute tradidit. (Dio 51, p. 636 R). Tum Gallus Pharum occupavit, et statim ad Paraetonium urbem aggressus est. Haec urbs, alio nomine Ammonia dicta, erat portus maritimus fere 40 stadiorum (Strabo 17, 549 Cas.), satis firma et opportune sita, quamobrem Antonius et Cleopatra ibi liberos suos et divitias reservabant. Antonius, nuntio de urbe iam capta accepto, omnibus aliis rebus omissis, (nam evocatus a gladiatoribus in Syriam proficisci statuerat) illuc statim profectus est, sperans, se illas copias a Gallo aut traducturum aut vi recuperaturum esse. Res vero aliter, atque exspectaverat, evenit. Gallus enim, quum timeret, ne milites ex vetere Antonii amore proditionem molirentur, tibicines canere ubique iussit, ita ut prae strepitu tubarum nemo verba Antonii, qui muris proximus clara voce milites compellabat, exaudire posset. Simul subita eruptione facta gravi damno eum affecit, classique magnam cladem inflixit. Clam enim nocturno tempore catenas (*ἁλύσεις ὑφύδρους*) per fauces portus extendit, Antoniumque improvidum, et quum nullum praesidium ad portum relictum esset, securum, intrare navibus passus est. Tum autem catenis subito per machinas attractis et faucibus clausis, irruptionem in naves fecit, easque undique circumventas partim submersit, partim incendit. Antonius vero de urbe recipienda desperans, et regressus a Paraetonio, mox quum omnes spes videret circumcisas, ipse de se statuit.

Similiter Gallus in Cleopatra capienda Augusto operam

navavit (Plut. Ant. c. 79); missus enim cum Proculeio ipse foribus domus adstitit, Cleopatram sermone detinens, dum Proculeius per fenestram ingressus, fores, ad quas Gallus exspectabat, aperit, itaque Cleopatrae educendae potestatem fecit.

Caesar quum hostes devictos, reginamque in potestate sua esse videret, Aegyptum in provinciae formam redegit, praeposuitque C. Cornelium Gallum; quod testimonio est, quam multum Gallus apud eum valuerit, et quam spectata fuerit fide. Nam, ut ait Dio 51, p. 647 R. (adde Ammian. Marc. 22, 1, Tacit. Hist. 1, 11) propter hominum multitudinem et in urbibus et in ceteris terrae partibus, et propter mores gentis leves, mobiles, varios, tum propter redituum et annonae copiam, nulli senatori non tantum committere terram ausus est, sed ne commorari quidem ibi alicui concessit, *ἂν μή*, pergit, *τινι αὐτὸς ὀνομαστὶ συγχωρήσῃ. οὐ μέντοι οὐδ᾽ ἐκείνοις βουλεύειν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐφῆκεν, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἄλλοις ὡς ἑκάστοις, τοῖς δ᾽ Ἀλεξανδρεῦσιν ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσεν. τοσαύτην που νεωτεροποιΐαν αὐτῶν κατέγνω.* Insunt tamen in his verbis, quae me male habeant, et quae ut libere fatear minus intelligam. Gentis illius mobilitas et ad seditiones tumultusque proclivis animus caussa sane erat satis idonea, cur Caesar non omnis generis hominibus provinciam committeret, quam non imperio Romano, sed sibi fiscoque suo occupaverat; atque in eo Augusti, callidi illius hominis, cernitur vafrities, quod Gallo, quem beneficiis plane sibi devinxerat, eam tradiderit. Sed cur senatores omnino ab Aegypto tam anxie prohibuerit, cur senatum ne esse quidem voluerit Alexandriae, ex illa caussa, quam Dio affert, non assequor. Nonne in senatorio quoque ordine homines fidos, sibique addictos habere poterat? nonne Gallus ipse, vel alius quis, qui Aegyptum regeret, etiamsi ordinis senatorii non esset, hac populi mobilitate ad spes maiores erectus tumultus movere poterat? Accedit id, quod si haec una et praecipua caussa fuisset, male tam infirma praesidia ad terram tutandam et coërcendam illuc collocasset, quam Strabo loco mox affe-

rendo [19]) affirmat, qui idem addit, Aegyptios, molle et imbelle genus hominum, facili negotio ad ordinem cogi. Sed caussa alia erat, quam Dio omisit. Trebellius Pollio enim in hist. trig. tyr. c. XXI, refert, apud Memphim in aurea columna Aegyptiis literis scriptum fuisse, tum demum Aegyptum liberam fore, quum in eam venerint fasces Romani, et praetexta Romanorum. Neque hoc oraculum esse serioris temporis, ex eo apparet, quod Ciceronem quoque de hac re aliquid memorasse dicit. Verbis illis Trebellii accurate ea respondent, quae apud Tacitum leguntur, Hist. 1, 11: „Aegyptum copiasque, quibus coercerentur, iam inde a D. Augusto equites Romani obtinent, loco regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere.“ Haec igitur mihi videtur caussa fuisse, gravis sane, cur senatores tam sollicite ab illa terra adeunda arcuerit, superstitio illa gentis et vani oraculi fiducia, quae facile ad motus excitandos et libertatem recuperandam homines, stultae religioni deditos, commovere potuisset. Nec tamen hoc contendo, Dionem hac in re errasse, nam sane quod praefectum Aegypti, qui regis loco erat, non senatorem, sed hominem potius ex ordine equestri, sibi deditum et fide spectata, esse Caesar voluerit, caussam satis idoneam affert gentis mobilitatem et provinciae divitias.

Caput VI.

De Aegypti statu, Gallo eam regente, deque laudibus Galli quarto Georgicon insertis.

Variis nominibus veteres scriptores munus eius designant, qui Aegyptum administrabat. Sunt qui eum iudicem no-

---

19) Vide p. 32.

minent, sunt, qui praefectum, alii procuratorem, alii proconsulem, Graeci ἔπαρχον et ἡγεμόνα. Quae nomina diversa ab eo videntur profecta esse, et quia novus prorsus erat magistratus, ideoque saepe cum veteribus, ei similibus, commiscebatur, et quia diversis temporibus diversa ei negotia deferebantur. Rectissime tamen praefectus nominari videtur et Aegyptus praefectura, nam ut Romae praefecti regum consulum et postea Caesarum absentium loco fiebant, ita Aegypti rector regis vices sustinebat. Sed libet, ut magis appareat, quae fere fuerit condicio terrae, Gallo eam tenente, locum Strabonis, qui paullo post hanc terram invisit, adscribere. Est is autem in l. 17, 1, 12: Ἐπαρχία δὲ νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἀεί. (Cuius virtutis, σωφροσύνης, laus ad Gallum quoque videtur pertinere.) Ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν. ὑπ' αὐτῷ δ' ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος. (Separatum igitur iudicis munus erat a praefecti officio.) ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστής ἐστι. παρέπονται δὲ τούτοις ἀπελεύθεροι Καίσαρος καὶ οἰκονόμοι, μείζω καὶ ἐλάττω πεπιστευμένοι πράγματα. Ἔστι δὲ καὶ στρατιωτικοῦ τρία τάγματα, ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἵδρυται, τἄλλα δ' ἐν τῇ χώρᾳ. χωρὶς δὲ τούτων ἐννέα μὲν εἰσι σπεῖραι Ῥωμαίων, τρεῖς μὲν ἐν τῇ πόλει, τρεῖς δ' ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας ἐν Συήνῃ, φρουρὰ τοῖς τόποις, τρεῖς δὲ κατὰ τὴν ἄλλην χώραν (quarum una Babylone in parvo castello, a colonis Babyloniis condito, stationem habebat.[20]) εἰσὶ δὲ καὶ ἱππαρχίαι τρεῖς ὁμοίως διατεταγμέναι κατὰ τοὺς ἐπικαιρίους τόπους. Tum refert ex indigenis magistratibus, inde a regibus constitutis, quattuor mansisse, exegeten, qui ea curet, quae urbi necessaria sint, ὑπομνηματογράφον, ἀρχιδικαστὴν et τὸν νυκτερινὸν στρατηγόν. Magis vero ad nostram rem facit alius locus in eodem libro, 1, 53, narrat ibi Strabo,

20) Strabo 17, 1, 30.

pacatam fere semper fuisse Aegyptum neque a populis vicinis infestatam, eandem condicionem etiam sub Romanis manere; *σημεῖον δὲ*, pergit, *τρισὶ γοῦν σπείραις, οὐδὲ ταύταις ἐντελέσιν, ἱκανῶς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἡ χώρα φρουρεῖται . . . . οὔτε γάρ εἰσιν οὔτ' αὐτοὶ οἱ Αἰγύπτιοι πολεμισταί, καίπερ ὄντες παμπληθεῖς, οὔτε τὰ πέριξ ἔθνη. Γάλλος μὲν γὲ Κορνήλιος, ὁ πρῶτος κατασταθεὶς ἔπαρχος τῆς χώρας ὑπὸ Καίσαρος, τήν τε Ἡρώων πόλιν ἀποστᾶσαν ἐπελθὼν, δι' ὀλίγων εἷλε. στάσιν τε γενηθεῖσαν ἐν τῇ Θηβαΐδι διὰ τοὺς φόρους ἐν βραχεῖ κατέλυσε*, de qua re Ammianus quoque Marc. loco infra laudando refert.

Caesar, quum a fertilitate Aegypti et annuo proventu annona Urbis penderet, eaque inde maxime sustentaretur, id potissimum egit, ut feracitatem soli, quaqua ratione id fieri poterat, adaugeret. Itaque quum canales a veteribus regibus ad aquam per terram diducendam structi, sub ultimis Ptolemaeis paullatim neglecti et collapsi iacerent, eos refecit purgavitque, et novos insuper addidit (Dio Cassius 51, p. 649), qua in re haud dubie Cornelii Galli opera usus est. nam etiam postea hanc rem Galli successoribus, Petronio et Aelio Gallo, curae fuisse, docet locus Strabonis l. 17, 1, 3. Gallus ad fabricas et opificia quoque augenda promovendaque nonnihil contulisse videtur, si quidem genus quoddam chartae byblinae, quae Alexandriae conficiebatur, ab illo inventum Cornelianumque vocatum est (Isid. Orig. 6, 9).

Sed monet me occasio, ut rem tractem, quae, quod sciam, nondum plane disquisita, certe non ita ad liquidum perducta est, ut mihi quoque non liceat, hic de ea disputare. Narrant enim grammatici (Donat. vit. Virg. 39, Serv. ad Ecl. X, 1, Georg. IV, 1, al. l.), quartum Georgicorum inde a medio libro usque ad finem Cornelii Galli laudes continuisse, quas postea Virgilius iubente Augusto deleverit et in Aristaei fabulam, quae nunc ibi legitur, mutaverit. Qua in re non minus ii falsi sunt, qui in mera grammaticorum commenta eam narrationem retulerint, quam ii, qui nimiam ei fidem habuerint. Nam quod illud attinet, quum constet, duas,

quas dicunt, recensiones carminis sui Virgilium exhibuisse, priorem fere a. u. c. 724, posteriorem paullo post annum 728 (v. Voss. ad Georg. 3, 26), in annum 728 autem damnatio et mors Galli incidat, hoc per se verisimile est, si quidem in illa piore libri editione hoc loco Galli laudes insertae fuerint, eas post 728 ut Augusto ingratas deletas lacunamque alio argumento expletam esse. Nec minus probabile est, fuisse aliquid in illo libro de laudibus Galli. nam primum consentiunt in hac re grammatici, qui cur tale quid finxerint, nemo prorsus intelligit; deinde, quum aliis quoque locis Virgilius Gallum, hominem sibi amicissimum, laudibus extulerit, nullo melius tempore id facere poterat, quam eo, quo Gallus summa Augusti amicitia floruit et ad summos honores ab illo provectus est; erat id autem circa annum 724, quo ipso anno Virgilius quartum Georgicorum scripsit.

At ab altera parte multa sunt, quae nos moneant, ne temere neve inconsulto hoc grammaticorum testimonium amplexemur. Nam primum dissentiunt ipsi inter se de ea parte carminis, quae postea in lacuna illa substituta sit, quum Donatus et Servius l. l. dicant, totam illam fabulam de Aristaeo eum locum tenere, quem olim Galli laudes tenuerint, ad vs. 453 l. 4. Servius seu quis ille est id ad narrationem de Orpheo insertam, (vs. 453—527) restringat. Deinde vix intelligitur, qui nexus fuerit inter argumentum libri quarti, rem apiariam dico, et Cornelium Gallum tam arctus, ut utraque res dimidiam libri partem explere potuerit. Fuisset sane haec inconcinnitas et male, si liber ita fuisset dispositus, ingenii sui sterilitatem ipse esset professus, si in rem ab argumento alieniorem tam longe excurrisset. quo vitio poëta nusquam laborat. Postremo, quod gravissimum est, illa de Aristaeo, artis apium recreandarum inventore, fabula cum toto argumento ita coniuncta est, quin ad rem plane absolvendam tam necessaria, ut vix a priore recensione abesse potuerit.

His omnibus perpensis et inter se collatis, id apparet, fuisse sane in quarto Georg. aliquid de laudibus Galli, easque post Galli damnationem abolitas fuisse, sed dimidium li-

brum ab iis impletum fuisse, prorsus a probabilitate abhorrere. Haec quae Vossius iam vidit (vide ad vs. 315), sed breviter tantum significavit, pluribus hic exposui, ut ea, quae iam nova additurus sum, melius intelligantur.

Restat enim, ut quaeramus, quo loco hae laudes fuerint insertae, nam de eo Vossium etiam fluctuare video; et sane res semper dubia erit, nisi si forte fortuna exemplar quoddam Georgicon, qualia a prima poetae manu profecta sunt, ad lucem protrahatur, quod in pia desideria referemus.

At sunt duo, a quibus hac in quaestione proficiscendum sit, primum a testimonio grammaticorum dicentium, a medio inde libro has laudes fuisse, tum autem ab eo, ut reputemus, bonum poëtam rem a consilio suo et argumento carminis alieniorem eo tantum loco inserturum esse, qui occasionem opportunam praebeat.

Quod prius attinet, medius liber, quum totus sit 566 versuum, incipit circa vs. 280, quo loco Aegypti natura a poëta describitur, et illa terra ab arte, qua e visceribus bovis caesi apes creabantur, (vs. 287 — 295) praedicatur. Scimus porro, Virgilium eo tempore in elaborandis Georgicis occupatum fuisse, quo Gallus rebus praeclare gestis praefectus Aegypti constitutus sit. Aegypti vero mentione iniecta (vs. 287) quam facilis transitus erat ad Gallum! Fertilitate terrae laudata, nonne efferendus erat laudibus Gallus quoque, qui illam soli feracitatem arte adiuvit? Sed adscribam, ut, quid velim, clarius fiat, totum illum locum (Georg. 287 — 295):

Nam, qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis;
Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet,
Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora,
Usque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac cett.

Iam quisque, opinor, sentit, laborare haec verba abundantia quadam et luxurie orationis, diffluere et laxam esse illam

terrae Aegyptiacae descriptionem, et desiderari in ea elegantem concinnitatem, qua tales expositiones in ceteris operis partibus niteant. Nam ut pauca tantum afferam, verba:

et viridem Aegyptum nigra fecundat arena
(vs. 291)

prorsus eadem sonant, quam quae supra dixit:

effuso stagnantem flumine Nilum (288) [20])

tum versus 290, nisi vicinia accusativum pluralis esse statuas, constructionem impedit, et in vs. 291, molesta sunt verba et otiosa: flumen discurrit in septem diversa ora ruens, ubi etiamsi ruens defendi possit, diversa tamen prorsus supervacuum est. Accedunt his initia illorum trium versuum — Quaque — Et — Et, quod valde displicet. Senserunt hoc iam viri docti, neque nunc quoque, postquam Vossius eos versus defendere ausus est, aliter statuo. Praeterea in codd. versus varie disponuntur, in nonnullis enim 291 legitur post 293, de quo v. quae Heynius affert.

His rationibus adductus iam ante satis multum temporis spatium in eam sententiam inclinavi, hunc fuisse locum, quo laudes Galli paucis versibus celebratae fuerint, nam et optima sese offerebat occasio, Gallum ob res praeclare gestas et Aegypti administrationem, cuius terrae fertilitatem adiuvit, laudandi, et verba ipsa totiusque orationis color videntur nos admonere, hic poëtam in lacuna aliqua explenda laborasse. Accedit id, quod grammatici tradunt, inde a medio libro Galli laudes fuisse, quod acceptum a veteribus commentatoribus ita inflexerunt, ut eas usque ad finem libri extenderent, quo posito necessario consequebatur, deletis illis Aristaci fabulam esse substitutam.

Quodsi quis hac mea ratiocinatione non contentus neque inductus ex me quaerat, cur tandem poëta tam male lacu-

20) Certe, ut licuerit, eandem rem copiosius exponere, vs. 290 Quaque pharetratae vic. Pers. urguet male inter utrumque interpositus est. Secutus vero sum in disponendis versibus Heynium.

nam illam resarcire maluerit, quam librum suum paucis versibus decurtari, ignorantiam meam profitebor.

Caput VII.

De morte Galli, et de caussis, cur damnatus sit.

Vidimus hucusque res Galli florentes, vidimus libertini filium ad id potentiae fastigium elatum, quod ne nobilissimarum quidem gentium hominibus contigit. Verum fortunae inconstantia in hoc quoque probata est.

Mortuus est Gallus Dione (53, p. 777) teste anno 728, a. Chr. 26, ipsius quadragesimo tertio, Caesare Augusto VIII., T. Statilio Tauro coss.; propria manu eum interiisse, omnes testantur, non igitur audiendus est Donat. vit. Virg. 39, qui eum occisum esse dicit. Verum de caussa mortis accuratius nobis disserendum est, nam ut varia de ea sunt veterum testimonia, ita inter se viri docti dissentiunt. Utile igitur erit et necessarium, prius veterum scriptorum locos, qui in hac re versantur, proferre, quam ipsi quid statuamus dicemus.

Ac primus quidem Dio audiendus est. Is l. l. postquam nonnulla de Agrippae modestia et temperantia, quae in summa quoque fortuna sibi constiterit, locutus est, haec de Cornelio habet: *Ὁ δὲ δὴ Γάλλος Κορνήλιος καὶ ἐξύβρισεν ὑπὸ τῆς τιμῆς, πολλὰ μὲν γὰρ μάταια εἰς τὸν Αὔγουστον ἀπελήρου, πολλὰ δὲ καὶ ἐπαίτια παρέπραττε. Καὶ γὰρ εἰκόνας ἑαυτοῦ ἐν ὅλῃ, ὡς εἰπεῖν, τῇ Αἰγύπτῳ ἔστησε, καὶ τὰ ἔργα ὅσα πεποίηκεν εἰς τὰς πυραμίδας εἰσέγραψε. Κατηγορήθη τε οὖν ἐπ᾽ αὐτοῖς ὑπὸ Οὐαλερίου Λάργου, ἑταίρου τέ οἱ καὶ συμβιωτοῦ ὄντος, καὶ ἠτιμώθη ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου, ὥστε καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτοῦ κωλυθῆναι διαιτᾶσθαι.* (i. e. domo et provinciis Augustalibus interdicebatur, quo facto praefecti quoque munus ei abrogatum et Petronio delegatum est.) Pergit: *γενομένου δὲ τούτου, καὶ ἄλλοι αὐτῷ συχνοὶ ἐπέθεντο,*

καὶ γραφὰς κατ' αὐτοῦ πολλὰς ἐπήνεγκαν. Καὶ ἡ γερουσία ἅπασα (nobiles igitur) *ἁλῶναί τε αὐτὸν ἐν τοῖς δικαστηρίοις, καὶ φυγεῖν τῆς οὐσίας στερηθέντα, καὶ ταύτην τε τῷ Αὐγούστῳ δοθῆναι, καὶ ἑαυτοὺς βουθυτῆσαι, ἐψηφίσατο. καὶ ὁ μὲν περιαλγήσας ἐπὶ τούτοις, προκατεχρήσατο ἑαυτόν.* Apparet ex his verbis, homines serviles, quum Galli fortunam labare viderint, varia crimina in eum finxisse, quibus obrutus, quum cedendum esse intelligeret iudicibus exacerbatis et infensis, sibi ipse manus intulit. Docent id verba apud Dionem, quae sequuntur: Quod in multis iam spectatum fuerit, hoc quoque Galli casum probasse, quum Gallum, quem hactenus adulati fuerint homines, tum ita tractaverint, ut eum ad inferendas sibi manus adegerint; et ad Largum, quoniam eum iam crescere viderint, studia sua convertisse, *μέλλοντές που καὶ κατὰ τούτου τὰ αὐτὰ, ἄν γέ τι τοιοῦτόν οἱ συμβῇ, ψηφιεῖσθαι.* Narrat deinde, Proculeium [21]), quum Largo forte obviam factus esset, nares suos et os compressisse, iis, qui secum erant, significantem, ne respirare quidem Largo praesente quemquam tuto posse. Alium, quem Largus non noverit, adhibitis testibus ad eum accéssisse et percontatum esse, nosse tne se? Ille vero quum negasset, in codicillum hoc scripsisse, *ὥσπερ οὐκ ἐξὸν τῷ κακῷ καὶ ὃν οὐκ ᾔδει πρότερον συκοφαντῆσαι.*

Sequitur deinde narratio de M. Egnatio Rufo, qui aedilitate bene functus, quum praeter legem praetor factus esset, ex eo honore elatus et superbus ab Augusto ad ordinem coactus sit.

Ex iis, quae Dio de Valerio Largo addit, iam apparet, quid homines istius temporis de eo et de tota Galli accusatione senserint.

---

21) Hic Proculeius haud dubie idem est, quem Horat. Carmm. 2, 2, 5. memorat, quemque supra p. 29. una cum Gallo in Cleopatra capienda Augusto operam praestitisse vidimus. Benevolo animo erga Gallum affectum et inter eius amicos fuisse, ex hoc Dionis loco et eo, quem supra e Plut. Ant. attulimus, concludi potest.

Dionem excipiat Suet. Aug. 66, qui ita scribit: „Gallo ob malevolum et ingratum animum domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denuntiationibus et senatusconsultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem, tantopere pro se indignantium; ceterum et illacrymavit et vicem suam conquestus est, quod sibi non liceret, amicis quatenus vellet irasci.“ Idem de illust. gr. 16. narrat, Q. Caecilium Epirotam, libertum Attici, quum filiam patroni, nuptam Agrippae, doceret, suspectum in ea et ob hoc remotum ad C. Cornelium Gallum sese contulisse et vixisse cum eo familiarissime, idque ipsum Gallo inter gravissima crimina ab Augusto obiectum esse. Quod abunde docet, quam iniuste et nefarie de Gallo actum sit; apparet, apud iudices iam statutum fuisse, eum perdere; crimina et calumniae facili negotio sese offerebant.

Servius ad Virg. Ecl. X, 1., Donatus v. Virg. 39., loquuntur de suspicione coniurationis in Augustum. Quae coniuratio videtur commentum esse grammaticorum, aut profecta e locis scriptorum male intellectis.

Ammianus Marc. haec habet (17, 4): „Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Aegypti procurator, exhausit civitatem (Thebas sc.), plurimis interceptis, reversusque quum furtorum arcesseretur et populatae provinciae, metu nobilitatis acerbe indignatae, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto ferro incubuit. Hic est, si recte existimo, Gallus poëta.“ cett.

Iam supra vidimus, Gallum Strabone teste seditionem in Thebaide tributorum caussa motam armis oppressisse. Potest hac in re acerbius et vehementius in Thebanos animadvertisse, nec tamen ei crimini dari debebat, quod provinciam seditiosam punivisset. Ceterum hoc libet monere, non esse verum, quod quidam putaverunt, Thebas tum de-

mum a Gallo vastatas esse. Nam eo tempore et multo antea iam urbs illa nobilis vix exiguam imaginem pristinae magnificentiae referebat; maximam vero partem a Cambyse depopulata et excisa fuit (Strabo l. 17, 1, 46, p. 816 Cas.)

Poëtae [22]) quoque conferendi sunt; Ovidius Trist. 2, 445 dicit:

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Idem amor. 3, 9, 63:

Obvius huic venias, hedera iuvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo;
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.

Ex his igitur quid statuendum sit videamus. Fontaninus, qui hic quoque nimii studii insimulandus est, ut Galli praestantiam virtutesque augeat, unum Ovidii locum sufficere putat ad rem diiudicandam:

Si falsum est temerati crimen amici,

quo amico temerato (falso, infido) Valerium Largum designari recte quidem statuit. Quum tamen in hunc unum omnem culpam transferri, Gallumque omni crimine liberari vult, errat. Nam e verbis poëtae eiusque Ovidii caussam tam gravem conficere et absolvere velle, temerarium est. Quod si enim Ovidius dicit, Gallum in piis sedibus, in quas sane non nisi puri et insontes mittuntur, si quidem insons ipse sit, versari, eumque hortatur, ut Tibullo advenienti obviam eat, fictione poëtica usus est, qua poëtas Latinos eroticos congregat, pia simul in hominem egregium et venerabilem memoria. [23])

22) Propertius 2, 34, 91 videtur aliter de morte Galli referre, sed hunc locum nunc omittemus.

23) Praeterea particula si docet, Ovidium ipsum de Galli culpa dubium et ambiguum fuisse. Ceterum conferendus est de tota caussa Bekkerus in Gallo, qui optime et elegantissime de ordine, quo acta sit, quamvis libero iudicio et fingens quaedam, quae nullis scriptorum testimoniis nituntur, exposuit.

Nos autem putamus melius nos acturos, si primum in singula crimina inquiramus, et quid verum sit, quid falsum, constituamus.

Id primum certum est, peccasse aliquid Gallum, quo pertinere videntur verba Dionis:

ἐξύβρισεν ὑπὸ τῆς τιμῆς et *πολλὰ μὲν γὰρ μάταια εἰς τὸν Αὔγουστον ἀπελήρου*, quibus verbis respondent verba Ovidii:

Fuit approbrio . . . . . . Gallo
Linguam in nimio non tenuisse mero.

Convicia igitur iactaverat in Augustum, deblateraverat multa, quae melius tacuisset, in epulis, inter pocula,

Condita quum verax aperit praecordia Liber.

Suetonio quoque fides habenda est, quum Gallum ingrati et malevoli in Augustum animi accusat. Quod statuas et imagines in Aegypto dispositas et res a se gestas pyramidibus inscriptas attinet, quum hoc Dio, probae fidei auctor, tradat, res ita sese videtur habuisse. Quis enim magna fortuna elatus sibi semper ita temperare potest, ut ubique intra fines recti stet? Potest fortasse hoc ita intelligi, ut provinciales, Aegyptii ipsi, ob praeclaram provinciae administrationem gratias ei referentes tale quid fecerint, quod ab accusatoribus postea Gallo in crimen datum sit. De coniuratione in Augustum conflata, de familiaritate cum Caecilio Epirota ei obiecta, de eversione urbis Thebarum iam vidimus. Quodsi huc assumimus lacrimas et querimonias Augusti, de quibus Suetonius tradit, malam delatoris et calumniatoris famam, quo, Dione narrante, Valerius Largus apud homines flagrabat, praeterea indignationem nobilitatis, quam Ammian. Marc. l. l. memorat, hoc fere de tota re statui poterit. Gallus, homo novus, sed prudentia, doctrina, elegantia ingenii, rebus denique praeclare gestis insignis, ab Augusto ex infima fortuna ad summum magistratum, quem ne nobilissimis quidem illius aetatis hominibus committere ausus est, praefecturam Aegypti, provectus erat. Hoc ei multas apud optimates inimicitias et grave odium conflaverit, necesse est. plerumque enim ii nobilibus

in odio sunt, quos hi non imaginum splendore, sed propria virtute et insita bona indole sibi antepositos vident. At ab altera parte Gallum quoque nimia fortuna elatum sibi non satis moderatum esse, neque intra recti fines se tenuisse, sed se iactasse, in nobilissimos quosque superbum se gessisse, quin ne Augusto quidem pepercisse, probabiliter statui potest. Memores tantum simus debilitatis humanae naturae, quam vates Andinus, Galli amantissimus, notissimis illis verbis consignavit [24]):

Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis.

Valerius Largus, homo malignus et perfidus, ex his omnibus criminationem conflavit, immissus sine dubio et excitatus in Gallum a nobilitate, atque ut fit quae levissimam tantum accusationis et criminationis ansam praebent, iis libenter utuntur; nil verentur afferre, speciem modo aliquam habeat. Augustus tum forte bello Cantabrico occupatus et absens ab Urbe [25]) rem integram senatui spectandam et cognoscendam tradidit, cui sane nil gratius acceptiusque contingere poterat, quam de homine tam inviso iudicare. Augustus autem, quamvis ipse nollet hominem quondam amicum et meritum de se damnare, tamen, quum Gallum servare potuisset, id quoque noluisse videtur; atque etiamsi postea publice lacrimis et querimoniis luctum suum et poenitentiam confessus sit, secreto fortasse gavisus est, quod tale exemplum in hominem liberalioris animi editum sit, metuens, ne tabes illa libertatis, quam celerrime opprimenda, latius serperet, praesertim quum illo tempore alii quoque liberius dixisse et egisse videantur, quam imperatori gratum esse poterat. Quod vero laudes Galli, a Virgilio quarto Georgicon insertas, postea deletas, attinet, egregie hoc quoque ad nostram de iis

24) Aeneid. l. X, 501—502.

25) Hoc neminem video eorum, qui de hac re scripserunt, respexisse, et tamen in hac caussa diiudicanda maximi, opinor, momenti est.

sententiam firmandam confert. Nam si, ut demonstrasse nobis videmur, hae potissimum ad Aegypti administrationem spectabant, Augusto sane id molestum debebet esse, servari illis versibus apud populum memoriam viri, qui quum optime de se meruerit postea propter levem suspicionem perditus sit. Gratificans igitur Augusto Virgilius eas delevit, aliosque versus substituit; non item ea, quae de Gallo in Bucolicis praedicaverat, quae nil haberent, quibus Augustus posset offendi.

Ita inimicorum falsis criminibus obrutus et perditus est homo praeclarus et dignus, qui meliore fortuna uteretur, et si qua malam notam Augusto inusserunt, sane haec Galli est damnatio.

Haec fuerunt, quae de C. Cornelii Galli vita disputarem; qui fuerit vir, quae gesserit, quibus usus sit moribus, quae necessitudines ei cum aliis eius temporis viris intercesserint, quam maxime fieri poterat, e monumentis literarum eruere expertus sum. Priusquam tamen disputationem meam finiam, id monebo, Gallum nostrum cum aliis eiusdem temporis eiusdemque nominis hominibus saepe confusum esse. Atque ut nunc de aliis sileam, aperte diversis, ex iis Propertii locis, ubi Galli memorantur, unus tantum ad nostrum pertinet, l. 2, 34, 91, de quo in altera parte disputabimus. Ceteri Galli a nostro diversi sunt, de qua re Bogislai Hertzbergii extat dissertatio in quaestionibus Propertianis: de amicitiis Propertii, in qua nonnulla de nostro quoque dicta sunt. Quae de Cornelio Gallo disputat, pauca sunt et notissima, quod vero Gallum Propertianum attinet, mecum consentit, diversum eum esse a nostro Gallo.

Vos vero his, qualiacunque sunt, favete.

Tabula capitum.

THESES CONTROVERSAE

QUAS

UNA CUM DISSERTATIONE

DE

C. CORNELII GALLI VITA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

6. Aug.

DIE XXVIII. MARTIS MDCCCXL, HORA LEGITIMA

PUBLICE DEFENDET

CAROL. CHRIST. CONR. VÖLKER,

CLIVIENSIS,

SEMINARII PHILOLOGICI REGII IN EADEM UNIVERSITATE SODALIS ORDINARIUS.

OPPONENTIBUS:

ANTONIO v. d. BACH
ANTONIO SCHÜTTE } SEM. PHIL. SODD. ORDD.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI.

MDCCCXL.

1. *Praecipuum philologi studium in literarum antiquarum monumentis versatur.*

2. *Apud Sophoclem Antig. v. 614. Brunck. verissime emendavit Heathius:* πάμπολύ γ'.

3. *Apud Thucydidem l. 4. c. 67. (Bekker. vol. 2., p. 91., lin. 10.)* ὅπως . . . . . . ἀφανὴς δὴ εἴη ἡ φυλακὴ *nil mutandum,* φυλακὴ *vocabulum passive accipiendum est pro re custodienda.*

4. *E verbis apud Cic. ad Att. 8, 11.: censeo, via Appia iter facias et — celeriter Brundusium venies non videtur concludi posse, hanc viam iam tum Brundusium usque stratam fuisse.*

5. *Apud Virgilium vocula que non nisi caussa idonea producitur.*

6. *In Virgilii Georg. l. 2, 341. unum rectum est, quod Vossius reposuit: Terrea progenies.*

7. *Apud Thucydidem l. 4. c. 65. (Bekker. 2, 93, 12.) verba:* πλῆθος ὅ ξυνῄδει *videntur glossema esse.*

8. *Iniquius Aelianus Varr. Hist. 12, 50. de Lacedaemoniis iudicat, quum dicit, eos musices plane rudes fuisse.*

9. *Lucretius carmen suum imperfectum non reliquit.*

10. *Plato in Menexeno conscribendo ad Periclis orationem funebrem apud Thucydidem respexit.*

11. *Terminationes verborum Latinorum, in is desinentium, quae e Graeca lingua petita sunt, duae sunt, in is et eos, in ios nulla est.*

12. *Vocabuli Latini singuli eadem est derivatio eademque significatio, quae Graeci* ἕκαστος.

13. *Institutionis feudalis iam apud veteres Germanos, qui Caesaris et Taciti temporibus fuerunt, vestigia sunt.*

14. *Definitiones notionum philologo, quoad fieri potest, e radicibus usuque verborum constituendae sunt.*

15. *Errant ii, qui omnia, quibus recentior aetas ab antiquitate differt, a Christianismo repetunt.*

Vita.

Ego Carolus Christianus Conradus Völker natus sum prope Cliviam anno huius saeculi decimo septimo die vicesimo sexto mensis Februarii, parentibus Francisco Michaële et Catharina Susanna Arnoldina e gente de Renesse, quos parentes carissimos superstites adhuc veneror. In primis literarum elementis institutus a patre optimo mox adii scholam urbis patriae trivialem, indeque ad altiora studia capessenda in gymnasium, quod tunc Nagelio, viro praestantissimo, paullo post praematura morte nobis erepto, dirigente, Cliviae florebat, transgressus sum. Studio theologiae evangelicae destinatus eram, sed quum mox Riglero, nunc Postamensis gymnasii directore, et Axtio, qui nunc gymnasii Wetzlariensis collega est, studia nostra regentibus, ad interiora humanarum disciplinarum sacra admissus essem, tanto amore illae me allexerunt, abripuerunt, detinuerunt, ut plane me iis addicere statuerem. Maturitatis igitur testimonio e severioris disciplinae carceribus dimissus, a. h. s. tricesimo sexto hanc florentem Musarum sedem petii, receptus in civium numerum a Wutzero, V. Cl., tunc Rectore Magnifico, philosophorum vero ordini adscriptus per Treviranum, V. Cl., Decanum spectatissimum. Omnem vero studiorum meorum cursum hic absolvi, detentus quum insito quodam terrae Rhenanae amore huiusque urbis amoenitate, tum praeceptorum claritate et caritate. Seminarii philologici, quod hic Bonnae Welckero et Ritschelio, VV. CC., praeceptoribus dilectissimis, regen-

tibus floret, per duos annos et dimidium sodalis ordinari fui, adscriptus ei a Naekio, V. Cl. Per quod tempus quas vicissitudines expertus sim, ne dolorem meum renovem, nolo repetere; satis nota sunt. id tantum liceat mihi hic profiteri, nunquam Heinrichii et Naekii, virorum clarissimorum, humanissimorum, qui studia nostra quondam fovebant, memoriam e mente mea excessuram esse. Verum iactura, quam in iis fecimus, nuper reparata est, ex quo tempore Welckerus et Ritschelius, VV. CC. sodalitii nostri curam susceperunt, quibus viris, quin pro beneficiis in me collatis et benevolo erga me animo gratias agam, facere non possum.

Nomina vero virorum doctorum, quorum scholis affui, haec sunt: v. Calkerus, Duentzerus, Fichtius, Heimsoethius, Heinrichius, Loebellius, Naekius, Ritschelius, Ritterus, a Schlegel, Strahlius, Welckerus, VV. CC. Quorum, dum vixerunt, carissimi fuere Naekius et Heinrichius, superstitum Welckerus et Ritschelius, et quem propius non attigi, sed religione quadam, ut ita dicam, veneror: A. W. a Schegel.

Quibuscum vero amicitiae et familiaritatis vinculo arctiore iunctus eram, viri iuvenes erant multi et egregii; e quibus liceat mihi nominare unum Brockhofium, praestantis ingenii iuvenem, cui post praeceptores plurimum debeo. At ipsi sciunt, quis sit et qualis, quamobrem non vereor, ne offendam apud illos, quod una cum iis eum hic nominem.
